



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

§. 1. De ratione tranquillandi moribundum turbatum horrore mortis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

struendo, si iniuste detineas: & iniungendo eleemosynas in subsidium pauperum, & Missas, aliaque suffragia ecclesiastica pro remedio animæ tuæ. Neque verò debet Sacerdos contentus esse, id onus committere parentibus, vel amicis, quando non caret probabilitate, quòd in ea re sint officio defuturi, timentes ei displicere, & morbi aggrauationi causam dare; quin potius in spem recuperandæ sanitatis erecturi misericorditer crudeles; cum salutare desiderium consulendi salutis animæ, in eodem infirmo reddant languidum, quod valdè roboraret apprehensio mortis imminens.

§. 1. *De ratione tranquillandi moribundum turbatum horrore mortis.*

Si contigerit infirmum turbari accepto nuntio de morte sibi imminente, tranquillandus est rationum sequentium momentis.

Prima est, quòd Deus sit absolutè Dominus vitæ nostræ, non minus quam aliarum rerum nostrarum; ideoque illam tollens non facit nobis iniuriam, quia tollit quod suum est. Dicatur ergo cum patiente Iob patienter: *Dominus dedit, Dominus abstulit, seu auferre vult, sit nomen Domini benedictum.*

Secunda est, quòd immutabili decreto ab origine mundi constitutum sit omnibus hominibus semel mori (de quò *ad Heb. 9.*) designato etiam die, qui terminet vitam, ne præteriri possit, iuxta illud in libro Iob, cap. 14. *Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est: constituisti terminos, qui præteriri nõ poterunt.* Quia

igi-

igitur nemo potest voluntati Dei resistere, necesse est conformare se ei, qui nobis vult omne bonum Pater amantissimus: nec potest malum facere infinite bonus.

Tertia est, quòd etsi dies mortis horribilis esse solet; verè tamen melior est die natiuitatis, vt Ecclesiast. c. 7. dicitur: & pater, quia natiuitas dat initium innumeris miserijs, prout constat experientia, & per illud libri Iob, loco citato: Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs. dies verò mortis finem ipsidem imponit, iuxta illud Apoc. 14. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis. Et illud in sequenti cap. 21 Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; & iam non erit amplius luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.

Quarta ratio est, quòd nolle mori, perinde stultum sit, ac nolle de numero hominum, quorum nullus eximitur à lege moriendi, quantumcumque potens & sanctus; nulli Monarcharum aut Sanctorum, Deo quantumuis amicissimorù (ne quidem Sanctus Sanctorum Christus, nec beatissima ipsius mater) exempti sunt. Et verendum est, ne sanitate restituta, quæ nunc adsunt adiumenta bene moriendi, postea mors subita habere non permittat. Propterea debemus nos totos diuinæ prouidentiae committere.

Quinta ratio, leniendis doloribus mortis accommodata ista est, Prudentiæ esse (prout dici solet) de necessitate facere virtutem: sicut faciemus, si dolores prædictos patienter feramus

amo-

amore Christi, qui passus est pro nobis, reli-
quens nobis exemplum, vt sequamur vestigia
eius, 1. Pet. 2. Ad quod iuuabit mentis oculis in-
tueri Christum ipsum cruce onustum, prope-
rantem ad mortis supplicium valde crudele; &
ponderare quod ab eo dictum est Matt. 10. Non
est discipulus super magistrum, nec seruus super
dominum. Sufficit discipulo, si sit sicut magister
eius, & seruo sicut dominus eius.

Sexta ratio est, quod sacrae paginae de tribula-
tionibus mentionem faciant, vt de bonis in ma-
gno pretio habendis. Act. 14. *Per multas tribu-
lationes oportet nos intrare in regnum caelorum.*
In posteriori ad Cor. c. 4. *Quod in praesenti seculo
momentaneum est tribulationis nostrae, supra mo-
dum in sublimitate aeternum gloriae pondus opera-
tur in nobis.* Ad Rom. 8. *Non sunt condigna pas-
siones huius temporis ad futuram gloriam, qua re-
uelabitur in nobis.* Et ad Hebr. 12. *Quem diligit
Deus, castigat; flagellat autem omnem filium, quem
recipit. In disciplina perseuerate. Tanquam filijs
offert se vobis Deus. Quis enim filius quem non
corripit pater? Addi potest poenas vitae futurae
esse grauissimas, & sine merito: redimi autem
per tribulationes vitae praesentis longè leuio-
res, & meritorias ex magna Dei erga nos mise-
ricordia.*

§. 2. *De virtutibus ad quarum exercitium Sa-
cerdos debet excitare & iuuare moribundum,
Ac primum de resignatione.*

Sunt aliquot virtutes, quarum exercitium ad
iustificationem peccatoris conducit, in quo cō-
sultum